

RESTITUTIO IN INTEGRUM.

SUMMARIUM.

- 1 **R**estitutio in integrum quid sit, & in specie: que requirantur ad eius concessionem: quibus conceditur: coram quo est petenda, & intra quod tempus, ad num. 27.
- 28 Assignantur causae ob quas post lapsum temporis potest concedi: petita restitutione an sententia executio suspendatur, nisi fuerit dolosa, ad num. 30.
- 31 Quando Regulari restitutio in integrum quinquennio elapsa concedatur: quid post eius obtentionem, ad num. 41.
- 42 Nova add. ex aliena manu inseruntur, ad num. 51.
- 1 **R**estitutio in integrum generatim loquendo idem est, ac in pristinum statum reponere, text. expresso in l. Cum salutat. 1. Cod. de sententiam passis, ibi: Restitutio re in integrum Protracte tua. Ut autem scias, quid sit in integrum restituere, honoribus, & Ordini tuo & omnibus ceteris re restituo. Et concordat leg. Quod si minor 24. §. 4. ff. de minoribus, ibi: Restitutio autem ita faciendae est, ut unusquisque in integrum Jus suum recipiat.
- 2 Restitutio autem in specie accepta est extraordinarium Juris remedium, quo gravior laesus ex naturali aequitate per officium Judicis reducitur, seu restituitur in pristinum Statum, ad Jus, in quo erat autem laesio. Sic in *Comm. de* clare desumitur ext. Utilitas 1. cum sequentibus, ff. De in integrum restitutionibus, & ex cap. Requisivit 2. cap. Cum venisset 2. cap. Auditis 3. cum sequentibus, de in integrum restitutione.
- 3 Ut restitutio in integrum concedatur, varia requiruntur: Primo enim requiritur, quod actus ille, vel contractus, seu quasi contractus, ex quo gravis laesio sequitur, de Jure fuerit validus; Si enim nullus fuerit, aut invalidus ipso Jure, non est locus beneficio restitutionis in integrum, quia tum laesus communi auxilio, ac merito Jure munitus est, ideoque non debet ei tribui extraordinarium auxilium seu remedium restitutionis in integrum, quod non nisi in subsidium, seu defectum remedii ordinarii conceditur, *Communis*, text. expresso in leg. In causae cognitione 16. ff. de Minoribus: ibi: In causa cognitione etiam hoc versabitur num forte alia actio possit competere circa in integrum restitutionem? Nam si communi auxilio, & mero Jure munitus sit, non debet ei tribui extraordinarium auxilium. Et ibi: §. 3. subjungitur: Et generaliter probandum est, ubi contractus non valet, pro certo Praetorem se non debere interponere.
- 4 Secundo requiritur, quod laesio illa sit gravis, seu magna, & notabilis juxta arbitrium boni viri, seu discreti Judicis: Si enim modica sit laesio, non conceditur restitutio in integrum. *Communis*, textu expresso in leg. Socio 4. ff. de in integrum restitut. ibi: Scio illud a quibusdam observatum, ne propter satis minimam rem, vel summam, si majori rei, vel summae praedjudicetur, audiatur is, qui in integrum restitui postulat. Et concordat leg. Si ex causa iudicati 9. ff. de minoribus, & cap. Ad nostram 11. de rebus eccles. ff. de minoribus, & ibi Glossa communiter recepta, verb. Enorme... ubi expresse dicit, quia pro levi damno non datur restitutio, & in cap. Requisivit 1. de in integrum restitutione, verb. Detrimendum magnum, ubi sic praecise habetur, nam pro modica causa non datur restitutio.
- 5 Tercio requiritur, quod laesio illa gravis acciderit dolo adversarii, vel inconsulta facilitate laesi, aut negligentia sui procuratoris ex actu, vel contractu cum adversario gesto, idque vel manifeste constet, vel saltem in iudicio per lasum rite probetur: Si enim casu fortuito grave damnum evenerit, videlicet, si res emptae incendio perierit, vel animal mortuum fuit, non conceditur restitutio in integrum, per expressum textum in leg. Verum, de dolo, 11. §. 5. cum sequentibus, ff. de

minoribus, ubi id pluribus exemplificatur, & concordant cap. Requisivit 1. cap. Cum venissent 2. cap. Ex literis 4. & cap. Constitutus 8. de in integrum restitutione, juncta Glossa communiter recepta in cit. cap. Verum, de dolo 11. §. 3. ff. de minoribus.

Quarto requiritur, quod restitutio in integrum fiat ex justa causa; *Communis*, per text. in leg. Utilitas 1. ff. de in integrum restitutionibus; ubi numentur causae generales hujus restitutionis, & dicitur, quod per eam plurifariam Praetor subvenit hominibus, vel lapsis (sui facilitate, ut explicat Glossa ibidem) vel circumscriptis adversarii dolo, sive metu, sive calliditate, sive etate, sive absentia inciderunt in captationem, sive, ut subjungitur ibid. leg. Sive 2. ff. eodem, sive per Status mutationem, aut justum errorem. Et concordat leg. Hujus Edicti 1. & leg. Hoc edictum 2. ff. Ex quibus causis majores viginti quinque annis in agrum restituantur, & cap. Auditis 3. de in integrum restitutione, ubi Innocentius III. de ecclesiis laeas loquens ait: Aequitate pensata utramque restituimus: Aequitas autem importat justam causam.

Beneficium restitutionis in integrum Jure communi conceditur etate minoribus (id est, iis, qui viginti quinque annos nondum compleverunt) si ex contractu, vel alio actu notabiliter laesi, vel decepti sunt. *Communis* per textum expressum in leg. Hoc edictum 1. leg. Denique 3. leg. Minoribus 6. ff. de minoribus 25. annis, ibi: Minoribus viginti quinque annis subvenitur per in integrum restitutionem, & cap. Constitutus 8. de in integrum restitutione, cum similibus. Restitutio in integrum conceditur minoribus utriusque sexus, etiamsi contractus, ex quo notabiliter sunt laesi, celebratus sit cum consilio patris, tutoris, vel curatoris. *Communis*, per text. in leg. Filiusfamilias 1. Cod. De filiofamilias minore, leg. Denique 3. ff. de minoribus, leg. Minoribus 2. Cod. Si tutor, vel curator intervenerit, ibi Minoribus annis 25. etiam in his, quae praesentibus tutoribus, vel curatoribus in iudicio, vel extra iudicium gesta fuerint, in integrum restitutionis auxilium superesse, si circumventi sunt, placuit.

Item beneficium restitutionis in integrum conceditur ecclesiae; *Communis*, textu expresso in cap. Requisivit 1. & cap. Cum venisset 2. de in integrum restitutione. Cum enim ecclesia fangatur Jure minoris, ut expresse dicitur in cap. Auditis de restitutione in integrum, ideo instar minoris natu, debet semper illa servari, ut expresse habetur in citat. cap. Requisivi... juncta Glossa communiter recepta, ibidem verb. Jure minoris.

Item beneficium restitutionis in integrum gaudet collegia Clericorum, monasteria Religiosorum, hospitalia Episcopii auctoritate fundata, quin & confraternitates, & congregationes; At haec enim omnia extenduntur privilegia ecclesiis concessa, textu expresso in leg. Omnia privilegia 35. Cod. de Episcopis, & Clericis, & concordat cap. Ex literis 2. de consuetudine, ubi claustra, Ecclesiae, & qualibet loca religiosa quoad favorabilia aequiparantur, & sic tenet *Communis* Doctorum.

Item beneficium restitutionis in integrum gaudet in republica, quae minorum quoque Jure fruuntur; *Communis*, per textum expressum in leg. Respublica 4. Cod. Quibus ex causis minores in integrum restituantur, ibi: Respublica minorum Jure uti solet, ideoque auxilium restitutionis implorare potest, & concordat leg. Rempub. 23. Cod. de Jure reipublicae, ibi: Rempublicam ut pupillam extra ordinem juxari moris est.

Nomine autem reipublicae veniunt non solum superiora, quae Superiorem non recognoscunt, sed etiam inferiores communitates, ut civitates, castra, villae, pagi, si bonorum, seu Jurium communium Administratores habeant. Bartolus in citat. leg. Respublica 4. Cod. Quibus ex causis majores, Maranta part. 6. Speculi aurei, §. De appellatione, n. 87. Abbas in cit. cap. Requisivit 1. de restitutione in integrum, num. 25. Molina tract. 2. de just. disput. 574. num. 4. Pithing. lib. 1. Decretal. tit. 41. num. 15. Reiffenst. ib. num. 37. & alii pas-

- passim; In istis enim inferioribus militat eadem ratio, quae in supremis, cum & inferiores regantur per alios, & multos habeant minores, pupillos, viduas, & miserabiles personas, sicuti Supremae.
- 13 Item beneficium restitutionis in integrum conceditur minori laeso contra minorem laedentem. *Communis*, per text. in leg. Veram 11. §. Item quaeritur, ff. de minoribus, & concordat text. in leg. ultim. ff. Ex quibus causis. Item conceditur ecclesiae laeae contra ecclesiam laedentem. *Communis*, per text. in cap. Cum venisset 2. de restitutione in integrum, & concordat text. in cap. Auditis 3. eod.
- 14 Nec valet obijcere, quod privilegiatus non utitur privilegio contra alium privilegiatum; leg. Assiduis 12. Cod. Qui priores in pignore; adeoque unus minor privilegiatus non possit uti hoc privilegio contra alium privilegiatum; nec una privilegiata ecclesia contra aliam ecclesiam privilegiatam. Non valet, inquam, quia regula procedit, si utriusque par sit causa, secus autem, si unus ceret de lucro captando, & alter de damno vitando; tunc enim is, qui cupit indemnitatem esse, merito prevalere debet illi, qui ex re aliena lucrum quaerit, ut cit. leg. Verum 11. §. final. ff. de minoribus, ubi Summarius sic habet: Si sint duo privilegiati pari privilegio, praefertur ille, qui certat de damno vitando: sed si uterque ceret de hoc, est potior causa rei: sed si sint privilegiati dispari privilegio, privilegium potentioris praepouitur. Tum quia beneficium restitutionis non conceditur minoribus, vel ecclesiis laedentibus, sed laeas; Unde minor, vel ecclesia laedens, non est privilegiata, & consequenter, si res exacte expendatur non concurrat privilegium cum privilegio. Abbas in cap. Auditis 3. de in integrum restitut. num. 8. Engel lib. 1. Decretal. tit. 41. num. 6. Reiffenstuel loc. citat. num. 44. & seq. & alii. (Conducti lex 33. tit. 12. part. 5.)
- 16 Item beneficium restitutionis in integrum conceditur quandoque etiam majorenibus, id est, majoribus 25. annis completis, si gravior laesi sint; at vero in istis praeter gravem laesionem necesse est aliam justam causam intervenire, v. gr. absentiae reipublicae causa, detentionis in vinculis, vel hostium potestate, justis erroris, seu probabilis ignorantiae, vel aliam similem justam causam, ob quam laesus per Judicis officium secundum aequitatem restituendus videatur. *Communis*, per textum in tot. titulo ff. Ex quibus causis majores 25. annis in integrum restituantur, & text. in tot. tit. Cod. Quibus ex causis majores in integrum restituantur, & signanter in leg. Hujus Edicti 1. ff. Ex quibus causis, & ubi Praetor tradit hanc generalem clausulam pro justis causis concedendi restitutionem in integrum majoribus 25. annis, ibi: Item si qua alia mihi justa causa esse videbitur, in integrum restituum.
- 17 Item beneficium restitutionis in integrum conceditur, nedum ipsis principaliter laeas, sed etiam eorum haeredibus, & successoribus universalibus, si modo defunctus in ea conditione fuerit, ut si adhuc superstes esset, restitui deberet. *Communis*, per text. in leg. Non solum 6. ff. de in integrum restitutionibus, leg. Minor 18. §. 5. ff. de minoribus, ibi: Non solum autem minoribus, verum Successoribus quoque minorum datur in integrum restitutio, etsi sint ipsi majores.
- 18 Restitutio in integrum petenda est coram Judice illius, contra quem petitur. Nam generale est, quod Actor forum Rei sequatur, cap. Si Clericus 5. & cap. Cum sic generale 8. de Foro competent. & in specie de petenda restitutione in integrum habetur ex leg. Quoniam 2. Cod. Ubi, & apud quem cognitio in integrum restitui agianda, juncto ejus summario, & *Communis* Doctorum.
- 19 Restitutio in integrum petenda est intra quadriennium. *Communis* textu expresso in leg. Supervacuum 7. Cod. De temporibus in integrum restitutionis, & concordat cap. Ecclesia 1. de in integrum restitut. in 6.
- 20 Quadriennium istud in restitutione minorum (qui non solum toto tempore minorennitatis possunt petere restitutionem in integrum, sed etiam post completam

minorennitatem per continuum quadriennium) incipit currere a primo die vicesimi sexti anni inchoati, & durat usque ad annum 29. completum. *Communis*, textu expresso in cit. leg. Supervacuum 7. Cod. De temporibus in integrum restitutionis.

In restitutione vero minorum, qui veniam aetatis impetrarunt, quadriennium incipit currere a die, quo venia aetatis obtenta, & intimata fuit. *Communis*, per textum in leg. Bos, qui 1. Cod. De bis, qui veniam aetatis impetrarunt; leg. Ba, quae 5. Cod. De temporibus in integrum restitutione.

In restitutione majorum 25. annis quadriennium incipit currere a tempore, quo laesio contingit, simulque cessat iuxta causam absentiae, vel aliud legitimum impedimentum, ut colligitur ex cit. leg. Supervacuum, & docet Glossa in Clementin. Unic. verb. A tempore, de in integrum restitut. & Barbosa ibid. num. 5. citans alios Pithing. loc. cit. num. 49. Reiffenstuel loc. cit. num. 62. & alii.

In institutione ecclesiae (vel reipublicae) quadriennium incipit currere a tempore factae laesionis, id est, a tempore celebrati contractus, vel quasi contractus, aut latae sententiae, ex qua ecclesia laesa est; cit. Clementin. Unica, & ibi Glossa verb. A tempore, de in integrum restitutione. Franc. in cap. Ecclesiae 1. de in integrum restitut. in 6. num. 2. notabilis. 3. Molina tract. de Justitia disput. 574. in princip. Reiffenstuel loc. cit. num. 62. & alii.

Quadriennium petendae restitutionis incipit currere non a die factae laesionis, sed a die habitae scientiae de laesione; Alexander Const. 84. num. 3. vol. 1. Cardin. Tuschus lit. B. conclus. 298. num. 9. & 6. Baldus in leg. Falsa, Cod. de fide instrumentorum. Engel loc. citat. num. 11. Reiffenstuel loc. cit. num. 3. Sannig. de restit. in integrum cap. 5. num. 3. alique plures. Et ratio est, quia alias non satis prospectum esset indemnitati ecclesiarum, & minorum, si contra occultas suas lesiones nullum haberent remedium; nam tempore ignorantiae factae laesionis nequit laesus se defendere, aut beneficium restitutionis petere, quia qui nescit, is videtur experiri potestatem non habere, & verius est ex eo annum numerari, ex quo cognovit, ut expresse dicitur in leg. Annus 6. ff. de Calumniatoribus. Nec obstat cit. Clementin. Unica, de in integrum restitutione, in qua dicitur quadriennium istud a die laesionis esse computandum, quia debet intelligi, quando dies laesionis, & scientiae ejus concidunt, ut ita pro favore ecclesiarum, & minorum Jura Juribus concordentur; Arnoldus Rath. in tract. de Usucapionibus, cap. 5. arser. 25. ubi dicit, hanc sententiam communiter sustineri, & in praxi receptam esse. Engel loc. cit. n. 12. Reiffenstuel loc. cit. num. 63. & alii.

(Si decisa per proceum, & leg. tit. 25. part. 3. etiamque tit. 19. part. 6. cum Auctoris doctrina contraheris, fere inter easdem mutua consonantia. Inter alios vide M. D. Anton. Gom. tom. 2. var. cap. 14. per tot.)

Tempus quadriennii concessum pro petenda restitutione non currit jute impedito: Unde si per dolum, aut vim adversarii, vel ob aliud justum impedimentum, verb. grat. ob absentiam reipublicae causa, non potuit peti restitutio in integrum, debet postea suppleri totum illud tempus, quo duravit illud justum impedimentum, addito ad quadriennium quantum temporis ablatum fuerat; colligitur ex cit. leg. Supervacuum 7. Cod. de temporibus in integrum restitutionis, & tenet ibi verb. Supervacuum... Glossa communiter recepta, & Bartolus ib. §. Et breviter, Pithing. loc. cit. num. 50. Reiff. loc. cit. num. 59. restans de communi.

Ecclesia est restituenda in integrum etiam post lapsum quadriennium a die factae, & cognitae gravis laesionis computandum; dummodo tamen adsit aliqua justa causa, ob quam Superior beneficium restitutionis ei adhuc concedendum arbitretur; Secus non. *Communis*, textu expresso in cap. Ecclesia 1. De restitutione in integrum in 6. ibi: Ecclesia, quae ad retractandam sententiam, vel contractum per beneficium restitutionis in integrum postulat se admitti, si quadriennii spatium

